Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26198
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tuis litteris percepisti · et temerarium fuit de eo quod nesciebat ferre
sententiam · tamen reor illum nec audere nec uelle te maliloquio lede-
re · Epistola Ieronimi ad Eustochium · xxvi ·
Parua specie sed caritate magna sunt munera accepisse a uir-
gine armillas epistolas et columbas · et quoniam in dei sacrificiis non offertur
nimia dulcedo arte mutata est · et quadam ut ita dicam piperis auste-
ritate condita · apud deum enim nihil uoluptuosum · nihil tantum
suaue placet · nihil quod non in se habeat et mordacis aliquid et ueri-
tatis · Pascha Christi cum amaritudinibus manducatur · festus est dies et bea-
ti Petri festiuitati conuenientius · ita tamen ut scripturarum car-
dinem iocularis sermo non fugiat · nec a praescripto palestre nostre
longius euagemur · armillis in Ezechiele ornatur Ierusalem · Baruch
epistolas accepit ab Ieremia · in columbe specie spiritus sanctus adlabitur · itaque
ut te aliquid piperis mordeat et pristini libelli eam nunc recor-
deris · caue ne operis ornamenta dimittas · que uere armille sunt bra-
chiorum · ne epistolam pectoris tui scindas quam ab Baruch traditam no-
uacula rex profanus incidit · ne ad similitudinem Effrem audi-
as · facta es ut columba insipiens · nimium respondebis austere · et quod festo
non conueniat diei · talibus ipsa muneribus prouocasti · dum dulcibus ama-
ra sociata sunt · et a nobis paria recipies · laudem amaritudo co-
mutabitur · uerum ne uidear dona minuisse · accepimus et canistrum
cerasis refertum · talibus et tam uirginali uerecundia rubentibus
ut ea nunc a Lucullo delata existimarem · siquidem hoc genus
pomi Ponto et Armenia subiugatis · de Cesarea sinu primus
Romam pertulit · unde et e patria arbor nomen accepit · Igitur quia
in scripturis canistrum ficis plenum legimus · cerasia uero non inue-
nimus · in eo quod allatum est · id quod allatum est predicamus · optamusque te

(margin, left:) natalis